

Advertit S. Ligorius huiusmodi Declarationum promulgationem fieri posse multiplici modo: nimirum sive de speciali mandato Pontificis, sive per usum plurium annorum, vel relatione Auctorum eas communiter referentium (3). — S. Lig. *Elench. Retract.* 2^a serie, p. 2. — Scavini, *de Leg. c. 4.*

ARTICULUS II. — DE LEGE CIVILI.

131. — Lex seu ius civile est collectio legum vel decretorum Principum temporalium, quibus ad bonum commune societas dirigitur.

an. 1741. circa *Holland. matrimon. §. 2.*), quod isti non adverterint, eas decisiones seu decreta lata fuisse *in casibus quibusdam particularibus et attentis tunc expositis circumstantiis*: quae sane decreta (ut ipse monet *De Synod. Lib. 6. Cap. 6. n. 4.*), *ne inter se quidem conformia semper fuerant propter varietatem circumstantiarum, quae modo in una facti specie aderant, modo in altera desiderabantur.*

Aptius tamen alii in hac quaestione distinguunt Declarationes mere *comprehensivas* ab *extensivis*. *Comprehensivas* dicunt, quando sensus legis declaratus a propria et usu recepta significatione non recedit, adeo ut sit secundum tenorem proprietatemque verborum legis, eamque interpretetur tantum. *Extensivas* vero, si a propria illa verborum significatione recedant, et ultra id, quod verba proprie et secundum sensum communem accepta denotant, aliquid decernant, prohibeant, dispensent, etc.

Porro si 1^o mere *comprehensivae* sint, prout voluerunt Pius V. et Gregorius XIII. et 2^o datae sint consulto prius Pontifice, huiusque nomine in litteris expresso, ac 3^o in forma authentica producantur, nempe cum S. Congregationis sigillo, atque Card. Praefecti et Secretarii subscriptione, ut voluit Urbanus VIII; tunc habendae sunt authenticae, atque adeo vim legis habent non solum quoad eos, quibus responsa dantur, sed etiam quoad alios. Neque obstat, quod eiusmodi declarationes non promulgentur solemniter. Nam declaratio mere

comprehensiva specialem et solemnem promulgationem non requirit, quippe quae non condit ius novum, sed iam conditum et promulgatum mere explicat. Quod si non ad omnium notitiam ipsa provenit, hoc tantum inde sequetur, ut qui contra explicatum legis sensum agit, tum a culpa tum a poena ob ignorantiam sit excusandus, donec declaratio ipsi innotescat sive ex authenticis S. Congregat. litteris, sive authentico earum exemplari, sive relatione fide digna, prouti scilicet fit de aliis legibus.

Si vero Declarationes sint *extensivae*, cuiusmodi, v. gr. sunt plura decreta de celebratione Missarum aut de Reformatione Regularium, hae vim et auctoritatem legis non habent, nisi fiant ex speciali Pontificis mandato et legitime promulgentur. Ratio perspicua est quia hoc ipso, quod non continentur verbis legum proprio sensu acceptis, iam sunt novae leges, quae in declarante requirunt legislativam potestatem. Atqui S. Congregatio ex sui institutione potestatem utique interpretandi, non autem leges condendi habet. Ergo. Conf. Pichler (*Prolegom. n. 46.*), Schmalzgrueber (*Dissert. Prooemial. n. 373.-377.*), et Reiffenstuel (*Prooemial. in Ius Canonicum n. 130-134.*)

(3) Quando, iuxta dicta, Declarationes eiusmodi sint, quae *legitima promulgatione* indigeant, haec autem habita numquam fuerit; etsi ab auctoribus communiter referantur, hoc tamen non sufficiet ut ipsis vis obligandi accedat.

Singulae nationes, seu communitates politicae, proprias habent leges, quibus reguntur. Sed ius duplex praesertim distinguimus, scilicet: *Romanum* seu commune, et *Gallicum novum*, quod etiam nonnullis aliis guberniis magna ex parte commune est.

I. *Ius Romanum*. — Ius Romanum dicitur *commune*, quia vim fere ubique habuit ad nostra usque tempora. Magno autem in honore semper habitum est, tanquam exquisitum, et *quasi ratio scripta*.

Continetur in celeberrimo Codice, seu corpore Iuris civilis, edito Iustiani iussu. Hoc volumen in quatuor partes distribuitur.

In 1^a parte sunt *Institutiones Iustiniani*, quae, quasi rudimenta et elementa pro tironibus Iuris civilis, quatuor libris continet.

In 2^a parte sunt *Digesta* seu *Pandectae*, quae in 50 libros distribuuntur (*).

In 3^a parte est codex, vocatus *Repetitae praelectionis*, in 12 libros divisus (**).

In 4^a parte continentur 68 *Authenticae* seu *Novellae*, quae numerico ordine designantur (***)

132. — II. *Ius Gallicum*. — Ius Gallicum novum a paucis annis existit; Gallia enim maxima ex parte iure communi ante Napoleonis tempora regebatur. Ius novum continetur in codice vulgo dicto *Code Napoléon*.

Quinque sunt illius partes, seu codices particulares: 1^o codex *civilis*; 2^o codex *processus civilis* (de procédure civile); 3^o codex *commercii*; 4^o codex *instructionis criminalis*; 5^o codex *poenalis*. His accesserunt plures alii codices minores, minorisque momenti: nempe codex *silvarum* (code forestier), — codex *agrorum* (code rural), — codex *municipii* (code municipal), etc. Res singulae, in singulis codicibus contentae, in breves et claros articulos distribuuntur, numerisque arabicis indicantur, ideoque facillime inveniuntur. Insuper multae sunt leges, quae in tabulis vulgo dictis *Bulletin des lois*, inscribuntur et asservantur.

CAPUT III.

DE LEGE POENALI ET IRRITANTE.

ARTICULUS I. — DE LEGE POENALI.

133. — Lex poenalis ea est, quae non obligat ad actum, vel ad omissionem, nisi sub poena temporali, id est ad acceptandam poenam ut iustam.

(*) Digesta continent responsa seu sententias Iurisconsultorum, quibus vim legis tribuit Iustinianus.

(**) Codex continet rescripta Principum,

quae ex se vim legis habent.

(***) Harum auctor est Iustinianus easque edidit, ut quod deerat in cetero corpore iuris, suppleret.

Principia. — I. Nequit dari lex *pure poenalis*, ita ut nullo modo in conscientia obliget, quia omne praeceptum Superioris aliquatenus obligare debet; secus enim non esset verum praeceptum. — *Ita omnes.*

II. Potest autem dari lex *mere poenalis*, ad alterutrum in conscientia obligans, nempe vel ad legem implendam, vel ad poenam subeundam, si violata lex fuerit. Ratio est, 1^o quia ad legis essentiam sufficit ut imponat aliquam obligationem in conscientia, nec necesse est ut obligatio actum vel omissionem determinate respiciat; 2^o quia lex vim non habet nisi ex voluntate legislatoris: legislator autem ad solam poenam obligare potest, si communi bono procurando sufficiat. — *Ita communissime Theologi cum S. Lig. n. 143.* — Suarez, — Salmant., etc.

Quaestio vero an dentur aliquae leges mere poenales, minime potest speculative resolvi, cum dari possint alicubi, et non alibi. Soli igitur in sua regione aut natione docti et periti de hoc iudicare valent. Generatim paucae, et in rebus minoris momenti, admitti possunt. Contendunt autem non pauci Theologi, esse mere poenales leges, quae respiciunt quaedam tributa imposita mercibus quae transvehuntur, et quae *Vectigalia* nuncupantur. *De his dicemus in Tract. de Restitutione versus finem.*

134. **Quaesita.** — **QUAER.** 1^o *Quomodo dignosci possint leges mere poenales?*

Resp. Praecipue ex communi sensu Doctorum, et persuasione praxique subditorum praesertim timoratorum.

QUAER. 2^o *An ignorantia excuset a poena per legem lata?*

Resp. 1^o *Affirm.*, pro foro interno, si ignorantia excuset a culpa: in foro autem externo non excusat, quatenus nunquam licet publicae auctoritati resistere.

Resp. 2^o *Neg.*, si ignorantia non excuset a culpa (1), aut circa solam poenam versetur (2). — S. Lig. n. 169.

QUAER. 3^o *An sint leges aliquae Ecclesiae mere poenales?*

Resp. *Neg.*, si excipiantur regulae multorum Ordinum religiosorum. Omnes enim poenae a Iure canonico inflictas, culpam et plerumque

(1) Intellige culpam *gravem*; nam quando ignorantia levem culpam non excedat, eam a poena excusare communiter tradunt Doctores.

(2) Intellige cum S. Alphonso (Lib. 4. n. 169.) poenam *ordinariam*, non vero *extraordinariam* et *exorbitantem*. Qua de re idem S. Alphonsus (Lib. 7. n. 351.): *Licet non requiratur scientia poenae, ut ipsa incurratur, quando poena est ordinaria, et talis ut ex natura ipsius*

criminis aliquo modo praevideri possit, cum ipsum lumen naturale dictet, malum iuxta suam naturam esse puniendum; requiritur tamen scientia poenae, quando illa est extraordinaria et exorbitans, ita ut secundum rei naturam ne in confuso quidem possit praevideri: et huiusmodi utique est poena irregularitatis. Quam sententiam idem S. Alphonsus (Lib. 6. n. 1074.) *probabilissimam* appellat.

gravem supponunt. Ratio est, quia leges poenales debent saltem esse obligatoriae disiunctive, seu saltem ad poenam subeundam; sed cum Ecclesia careat mediis ad coercendum, quibus gaudent Principes (3), necesse est ut semper in conscientia obliget. Nec dicas, Ecclesiam habere censuras ad poenam Christianis infligendam; nam ex usu Ecclesiae censurae non nisi in gravis culpa reos (4) et in contumaces feruntur, quia censurae sunt poenae extraordinariae, quas Ecclesia, pia mater, non nisi necessitate compulsas infligit. — Reuter, n. 126. — V. *Cas.* n. 125.

ARTICULUS II. — DE LEGE IRRITANTE.

135. — Lex irritans ea est, quae statuit aliquem actum a principio invalidum esse, vel iudicis sententia invalidandum. Hinc dantur leges ipso facto irritantes, aliae vero post sententiam tantum. Aliae sunt irritantes absolute, et aliae conditionate, si nimirum deficiant requisitae conditiones. Insuper aliae immediate irritant actum ipsum, ut impedimentum matrimonii ob clandestinitatem; et aliae mediate, personas ipsas inhabiles reddendo, ut impedimentum consanguinitatis.

Principia. — I. Omnis legislator leges irritantes condere potest; ratio, quia hoc ad bonum commune requiritur; secus enim fraudes et pericula societatis humanae propulsari satis nequirent. — Suarez.

II. Leges, quae statuunt, actus rescindi posse, eos ante iudicis sententiam non irritant, ut ex terminis patet et proinde ante eiusdem sententiam vim non sortiuntur.

III. Sententiae autem iudicis irritantis standum est in iis omnibus, quae intrinsece ex irritatione nascuntur, quia auctoritati praecipienti obtemperandum est. — Suarez.

(3) Hoc non ita accipiendum est, quasi Ecclesia aut coactiva careat potestate, aut temporalibus seu corporalibus poenis uti non possit ad subditos suos coercendos. Vid. *Iuris publici Eccl. institutiones auctore P. Camillo Tarquini S. I. lib. I. sect. 2. art. 1.* Caeterum hoc Auctoris argumentum non admodum videtur firmum; et exinde alii e DD. censent, leges mere poenales etiam in ecclesiasticis decretis locum habere.

(4) Intellige praesertim de *excommunicatione*. Nam leviores quaedam censurae etiam ob venialem culpam infligi possunt et solent. Vid. S. Alphonsus lib. 7. n. 30.

Lex civilis irritans vim suam exerit, sicut aliae leges, in foro conscientiae, quod discas quoque ex responso sequenti s. Poenit. 21. Jan. 1873. « An simplex conditio adiecta in chirographo de restitutione (pecuniae) non aliter faciendae quam in sonante, ut aiunt, pecunia, vim suam amittat etiam in foro conscientiae per subsequentem legem civilem illam irritantem ». Respondit « Regulariter affirmative: nisi peculiares obstent circumstantiae, super quibus recurrendum erit in casibus particularibus, iisdem diligenter expositis ».

136. **Quaesita.** — QUAER. 1^o *An lex irritans obliget in conscientia ad actum vitandum?*

Resp. Affirm., si sit simul irritans et prohibens, ut sunt leges matrimonii impedimenta statuentes; secus, si sit irritans tantum, quia tunc finis legis sola actus irritatione sufficienter obtinetur, ut in pluribus contractibus civilibus. — Reuter, n. 232.

QUAER. 2^o *An ignorantia invincibilis effectum irritationis impediatur?*

Resp. Neg. per se, quia ignorantia non supplet defectum rei essentialiter requisitae, nec tollit gravia incommoda, quae sequerentur, si lex in omni casu non irritaret. Sic mulier violata a viro incognito, invalide nubit cum eiusdem fratre, non obstante ignorantia invincibili impedimenti affinitatis.

Excipe tamen, si lex irritet unice in poenam et odium delicti; quia tunc solam malitiam punire intendit, et proinde, cessante causa, effectus etiam cessare debet. — Suarez, — Lacroix, etc.

QUAER. 3^o *An lex irritans, non obstante incommodo valde gravi, irritet?*

Resp. Affirm., nisi agatur de damno communi; ratio, quia lex irritans actum potius quam personam afficit, nec agitur de obligatione conscientiae, sed de bono communi; secus enim homines facilius sibi fingerent incommoda, et lex totum robur suum amitteret. Hinc non valeret matrimonium cum consanguinea, etiam metu mortis, sine dispensatione initum. — Lacroix.

CAPUT IV.

DE LEGE NON SCRIPTA, SEU DE CONSUETUDINE.

137. — Consuetudo, prout causaliter consideratur, est agendi mos ex frequentibus communitatis totius, vel maioris eiusdem partis, actibus inductus; formaliter vero est ius quoddam moribus constitutum, quod pro lege accipitur, etsi lex deficiat.

Principia. — I. Consuetudo, debitis vestita conditionibus, potest novam legem inducere, veterem abrogare, vel penitus, vel ex parte, v. gr. quoad poenam, remanente obligatione, aut viceversa, itemque legem modificare, vel interpretari. Constat ex variis Iuris tum canonici tum romani locis, quibus indubie eruitur, consuetudinem pro lege habendam esse. Constat pariter ex communi sententia theologorum et legisperitorum Hinc axioma: *Consuetudo optima legum interpretes.*

II. Conditiones ad legem inducendam vel abrogandam sunt 1^o Ut consuetudo sit rationabilis. Ad hoc autem requiritur, ut nervum ecclesiae disciplinae non disrumpat; ut praeterea non sit fomes et occasio

peccatorum, nec bono communi perniciosa. Bouix. — 2^o Ut sit a communitate (et quidem a maiore eiusdem parte, habili ad condendam legem, Bouix) inducta per actus repetitos (et non interruptos usque ad completam consuetudinem, Reiffenstuel), voluntarios (id est, non vi aut metu inductos (1), Bouix), publicos, cum animo saltem implicito se obligandi (si agatur de consuetudine praeter legem). — 3^o Ut duret tempore requisito.

Adtribuendam consuetudini vim legis non requiritur expressus Principis consensus, sed sufficit consensus legalis, seu iuridicus, qui habetur per leges et canones consuetudinem moribus populi introductam approbantes, eique vim iuris non scripti tribuentes.

138. **Quaesita.** — QUAER. 1^o *Quodnam tempus requiritur ad praescribendum contra legem?*

Resp. Controvertitur; nec conveniunt inter se Theologi aut iurisperiti propterea quod nihil clare ea de re iura statuunt.

Plerique dicunt, decennium sufficere et requiri ad legem civilem praescribendam (2). Idem etiam affirmant multi pro lege ecclesiastica, licet alii quidam, cum Billuart. 40 annos requirant. — Ita S. Lig. n. 107.; Hom. apost. n. 11. — Verum id videtur pendere non tam a temporis diuturnitate, quam a caeteris circumstantiis morali aestimatione spectatis, habita praesertim ratione sensus communis, utrum nempe maior et sanior pars communitatis legem ut abrogatam habeat (3).

139. — QUAER. 2^o *Quandonum consuetudo censeatur inducta cum animo se obligandi?*

Resp. 1^o Si Doctores in id consentiant: 2^o si consuetudo sit de re gravi et difficili, et tamen dici possit constanter et communiter servata; 3^o si Superiores graviter reprehendant consuetudinum violatores. — S. Lig. n. 107.

QUAER. 3^o *Quid in dubio an consuetudo legis vim habeat?*

Resp. In dubio, facta inquisitione, valet principium: *Lex dubia non obligat.* Haec autem inquisitio consistit in sensu hominum proborum indagando.

140. — QUAER. 4^o *Quid tenendum de variis consuetudinibus ecclesiasticis Galliae propriis?*

Resp. Hac de re sic propriis verbis Bouvier.

(1) Adde, quod actus non debent procedere ex errore aut ignorantia. Secus enim cum nihil contrarium magis sit consensui, quam error, actus involuntarii censerentur.

(2) Nimirum ad hoc requiritur et sufficit longum tempus. Atqui iura decennium ut longum tempus habent. *Instit.*

De usucap. init. L. 12. C. De Praescript. long. temp.

(3) Cessare in casu lex potest ante decennium, non quidem vi consuetudinis, quae ex hypothesi nondum praescripta est; sed ex consensu Principis *conniventis*, atque ita illam tacite tollentis.

« Certum est, quoad Galliam Summos Pontifices consuetudines omnes
 « iuri communi contrarias non admittere... Licet enim Summi Pontifices
 « contra hasce consuetudines non semper potuerint reclamare, ob gravia
 « incommoda, sive publica, sive personalia, sibi aut aliis merito timenda,
 « hoc tamen silentio easdem consuetudines ratas non habuisse credendum
 « est. Iam Sancta Sedes mentem suam aperuit tum in specie circa obli-
 « gationem Bullae S. Pii V. de liturgia Romana, tum in genere circa
 « pontificias Constitutiones disciplinam generalem spectantes, quas admitti
 « iussit a Concilio provinciae Parisiensis anni 1849, ut videre est in actis
 « eiusdem Concilii.

« Certum est tamen, mentem Sanctae Sedis non fuisse, omnes consue-
 « tudines, dioecesibus Galliae proprias, penitus destruere.

« Quanam vero iuris communis, aut Conciliorum generalium Decreta,
 « quanam Apostolicae Constitutiones vim legis habeant, et quanam
 « consuetudines supremi legislatoris consensu in dioecesibus ratae ha-
 « bendae sint, in dubio ad Sanctam Sedem recurrendum est. Bouvier,
 « c. 2. a. 5. — V. cas. n. 132.

« Rursus. Multa quae respiciebant beneficia, privilegia fori externi,
 « formas iudiciorum, nunc sunt absque re in Gallia. Unde maxima pars
 « difficultatum Iuris ecclesiastici evanuit.

« Consuetudinibus apud nos certe et sine iniuria auctoritatis Ecclesiae
 « receptis omnes Sacerdotes tuta conscientia uti possunt, imo ab illis in
 « praxi recedere nequeunt, quia ordo perturbaretur, v. gr. si iurisdictio-
 « nem ab Episcopo acceptam insufficientem iudicarent, dispensationes
 « concessas aestimarent nullas, etc. Episcoporum et non simplicium Sa-
 « cerdotum est de regulis disciplinae iudicare. » — Bouvier, c. 3. art. 1.
 §. 2. Utrumque ex editione iuxta animadversiones a theologis Romanis
 propositas emendata.

CAPUT V.

DE LEGE FAVORABILI, SEU DE PRIVILEGIO.

141. — Privilegium est gratia constans et permanens certis personis,
 vel certis dignitatibus, *contra* vel *praeter* legem communem a Superiore
 concessa.

Distinguitur privilegium.

1^o *Personale, locale, vel reale*, prout conceditur certae personae,
 aut incolis certi loci, aut alicui rei, v. gr. certae Ecclesiae.

2^o *Contra legem, vel praeter legem*, prout per illud alicui legi
 derogatur, vel secus.

3^o *Favorabile, vel odiosum*, prout privilegiato prodest secluso alio-
 rum gravamine; aut alios aggravat, dum uni favet.

Principia. — I. Privilegium *contra legem* tantum concedi potest
 ab illis, qui a lege valide dispensare queunt, et quidem solis subditis,
 non secus ac si de dispensatione ageretur, quia genus quoddam dispen-
 sationis est.

II. Privilegium autem *praeter legem*, seu privilegium improprie dictum,
 potest concedi etiam non subditis, quia non est actus iurisdictionis, sed
 actus merae facultatis et quasi donatio. Sic Princeps potest concedere ex-
 traneo privilegium venandi in suo territorio.

III. Privilegium *favorabile* large interpretandum est. Contra privile-
 gium *odiosum* strictae interpretationis esse debet. Evincitur ex iure, et
 consonat communis Doctorum consensus. — S. Ligor. *Append. de Priv.*
 in fine Tract. *de Legibus*, n. 7.

IV. Nemo tenetur *per se* uti privilegio, quia unusquisque iuri suo re-
 nuntiare potest (1); aliquando tamen *per accidens*, privilegiatus obli-
 gatur ad usum privilegii, v. gr. ratione charitatis. Hinc peccaret qui
 habens facultatem absolendi a reservatis peccatorem reservata habentem
 et in gravi necessitate positum audire nollet... etc. — S. Lig. *ibid.* n. 3.

142. **Quaesita.** — QUÆR. 1^o *Quomodo cesset privilegium?*

Resp. 1^o Morte personae, vel interitu rei, prout est personale vel reale;
 2^o lapsu temporis praescripti, vel revocatione; 3^o cessatione causae finalis;
 4^o renuntiatione acceptata ab eo, qui illam acceptare potest.

QUÆR. 2^o *An peregrini possint gaudere privilegiis locorum quae per-
 agrant, etsi sint contra legem communem?*

Resp. Affirm. Constat ex consuetudine generali. Sic Galli transeuntes
 per Hispaniam, carnibus die sabbati vesci possunt. Sic etiam Itali in
 Gallia existentes ab obligatione Missae audiendae in festo Epiphaniae Do-
 mini et nonnullis aliis, quae ibi non servantur, festis eximuntur.

De privilegiis autem in particulari dicetur suo loco et praesertim de
 privilegiis *Clericorum, Regularium, Episcoporum*, in Tract. *de Statibus
 particularibus*, in fine huius voluminis.

(1) Hoc non valet quoad privilegia, | potest renuntiare privilegio *canonis* aut
 quae non tam personae quam conditioni | *fori*, nec religiosus privilegio *exem-
 seu statui conceduntur. Ita clericus non | ptionis.*